

# Apocalypsis

penitentiam se transferendo sepe contingit qd dū p aliquā recrea-  
cōez tpalē se calefacere mitē. ser-  
pētes. i. detractores cōtra eū in-  
surgūt. qui manū. i. opa ipsius  
mordēt et eū si possent iuvenenāt  
et diffamāt sicq; fit qd v̄ ad triāq̄l  
litate portus religionis credide-  
rat remisse detractorū rabies ip-  
sū fortius ledat. Verutamē pau-  
lus. i. hō iustus dz tales serpen-  
tes in ignē sue inuidie ex autere.  
et sic de eorū detractōibz nō cu-  
rare. et sic si ipsos exauserit. et n̄  
curauerit ipsū nequibūt ledere  
vel nocē. ita qd alij suā pfectiōez  
vidētes ipsū deū et iustū hōiem  
poterūt estimare. **Mat. xxvij.**  
**De filius dei erat iste** Vel dic qd  
in litoē religionis solēt deones  
serpētū illos acrius p tēptacōes  
mordere. quos vidēt de nauī m̄-  
di maris piculū euasisse. et de m̄-  
do ad r̄ligiōis ac pnie litora triā-  
sfugisse. **Vel dic qd qn̄ paulus**  
**.i. bonus platus aliquē serpētē**  
**.i. aliquē malū subditū in ignē**  
**tribulacōis p correctōnē mittit**  
**statū cōtra eū si p̄t insurgit et eū**  
**diffamat et pūgit qz d̄ eccl̄s. x.**  
**Qui dissipat sepē mordebit eum**  
**colub. qz qn̄ platus mitē in ma-**  
**lis subditis sepē malarū excusa-**  
**cōm spinarū viciōzū p correctio-**  
**nē destruē talis colub̄ solet eū i-**  
**uadē** Qd videns platus ipsū dz  
in istū ignē fortiter ex autē et ad  
subeūdū corrōez ac̄ p̄pellē et a  
tali morsu. i. rebellioē cōpescē.

et arcere **Ps** In ignē eijciet eos  
in miserijs nō subsistēt.

**Explicit moralizacio actuū apo-**  
**stolorū.**

**Incipit moralizacio super a-**  
**pocalipsum.**

**I** Obānes in insula q̄  
dicē patmos. q̄ ad  
huc ē ppe ephesū in  
asia miōri q̄ nūc dici-  
t̄ turcchia. Vidit rap-  
tus in spū vij. cādelabra aurea.  
In quorū medio fili⁹ eāt filio ho-  
minis. vestitus podē p̄ctus ad  
mamillas zona aurea caput ei⁹  
et pili cādidi t̄qm lana alba. et  
t̄qm m̄. oculi eius sic flāma ig-  
nis. pedes filēs auricalco i cami-  
no ardēt. vox eius sic vox aqua-  
rum multarum. et in dextera ei⁹  
septē stelle. et ex ore eius exibat  
gladius acutus. et facies ei⁹ lu-  
cēbat sic sol i virtute sua. qui di-  
cēbat oībz p h̄ v̄ba. **Ego sū pri-**  
**mus et nouissim⁹. sūi mortuus**  
**et eccl̄e sū viuēs in secula sc̄lōz.**  
**Moraliter ista insula ē eccl̄a. q̄ a**  
**uari. i. amais t̄bulacōibz velut**  
**insula circuitur.** **Ista dicitur pat-**  
**mos. idest separacō hostium. vel**  
**palpantium. quia exinde debent**  
**separari hostes idest detractōes.**  
**palpantes idest aduatores.** **I**  
**le vir mirabilis qui ibi videtur**  
**est vir iustus et perfectus vel p̄-**  
**latus. qui pro certo ipi filio ho-**  
**minis similis dicitur. pro eo qd**  
**cristo filio virginis per bona o-**  
**pera conformatur. **Psalm. xliij.****

# Apocalipsis.

Similis ero altissimo; Septē cā  
delabra signat vniuersitatē bono  
rū. et honestarū psonarū. qz per  
septem vniuersitas teste grego  
rio designat; Et isti dicūt aurei  
quātum ad valorem sanctitatis.  
et quātū ad splendore scie. et sa  
gacitatis. apparēcie. et honestatis  
qz p certo in medio istoy id est  
in societate pfectoy. debet iste p  
latus et pfaus ambulae et viuē.  
Et qz scā bona. societatis. honesta  
et discreta. maxie ad p̄latos reli  
giosos. et alios viros p̄fōs nos  
at̄ p̄tinē. qz cū scō scūs eris; In  
medio inquit cadelabroy aureo  
rū. Eccāstia. xxvii; In medio co  
gitaciū legē dei assidu? esto. Iste  
igit̄ circa mamillas. i. in pectoē  
et in corde debet habē zonā aure  
am. i. rubore feruide caritatis. ca  
put eius. i. intēcio debet esse ad  
modū muis albe vt lana. p cādo  
rē inoēcie et puritatis. et p mol  
liciem lanee simplicitatis. debet  
habē vestimētū p̄deis. i. decore  
exterioris honestatis. Oculi itel  
lectus sui debent eē ignei p splē  
dore discretions et veritatis. Pe  
des eius. i. affectioēs debēt esse  
ignei. et sonare p clamore ferui  
de caritatis. orōmis. desiderij et spi  
ritualis cupiditatis. Infra. x; Pe  
des ei? sicut colūna ignis; Vox  
eius d; eē sonora p clamore p̄di  
cacionis. et p ostētiōne auctori  
tis. qz ipsū dec; loqui auctēcie et  
seuē. ne sua auctoritas d̄tēpnat;  
Danielis. x; Vox sermonū ei? sic

vox multitudinis; et bene multi  
tudis. qz in oī actu vox solēpmis  
psone. equipollē debet multitudi  
ni alioy; Ite debet habere septē  
stellas. id est septem dona scī spi  
tus. sc; p p̄fectionem sanctitatis.  
Apoca. ij; Qui habet septē stel  
las. in dextera sua. facies eius de  
bet splēdere p dulcorem leticie et  
affabilitatis. quia in omnib; de  
bet se ostēdere letū affabilē et be  
nignū. Matb. vi. Unge caput  
tuum oleo. et faciem tuam laua  
et tamen ipse debet habere i ore  
gladiū bis acutum. id est rigore  
duplicis iusticie et seueritatis. qz  
ipse debet malos corrigerē. id est  
cōminādo amissionē glorie. et im  
missionē pene etne; Ps; Lingua  
eoy gladius acutus. qz viu? de  
bet esse sermo et efficax. et penetra  
bilior omni gladio ancipiti. He  
bre. iij. Et tūc tales p certo dice  
re possunt. Ego sū p̄mus et no  
uissimus. etiam qui sc; p̄mi mor  
tui sūt et nouissimi in hac vita p  
vilitatem deiectonis et humili  
tatis. h; finaliter in paradiso fiūt  
viuentes et p̄mi p vitore p̄petu  
e dignitatis et pervigore felicitatis  
et p̄petue firmitatis. et tūc e  
runt p̄mi nouissimi. et nouissi  
mi p̄mi. Matb. xx; Illi qui mō  
sūt p humilitatem mortui mun  
do. id est nichil valentes et nich;  
il reputati quo ad mundū. et no  
uissimi quo ad dignitates et mū  
di prosperitates. erūt p̄mi et fe  
liciores. Et eōuerso illi qui mō



## Aporatip.

corpe ecclesie militantis. **Un p̄ s̄,**  
**D**extra domini fecit v̄tutem. **I**sta  
igit̄ dextera septē stellas id ē sep  
tem dona spūs sancti. vel septem  
virtutes debet habere. quibz to  
tam noctem id est statum secula  
rem debet exemplariter illustra  
re; **Genes̄ p̄mo,** **S**tellas posuit  
in firmamētō. id est in statu eccle  
siastico. **F**acies hui⁹ corporis sig  
nificat doctores. in quibz omnis  
sensus discretiois sicut in facie  
debet vigere. et qui p̄ honestā cō  
uersationem ad modū solis lu  
cere dūt. **Mat̄h. xvij.** **R**esplēdu  
it facies eius sicut sol. **P**edes hu  
ius corporis qui corpus susten  
tant sūt inferiores agricolē. q̄ ad  
modum auricali debent esse so  
nori deo regraciando. et sicut ig  
nis p̄ claritatem ardere. in cami  
no tribulacionis et doloris viuē  
do. **Da. x̄.** **P**edes q̄si spēs eis cādē  
tis. **O**s v̄o qd loq̄t̄ sūt aduoca  
to. q̄ gladiū ligue dūt habē bis  
auiū. iquātū debēt allegare pro  
iusticia vni⁹ ptis. et de iusticia al  
teri⁹ ptis. vel in quātū ipi tenent̄  
intercedē pro promociōe bono  
rum et punicione maloz. **Iuē.**  
**xxij.** **D**omine ecce gladij duo s̄.  
**C**andelabra que istū. et mēbra is  
tius lustrabant sūt spūalia dei  
dona. q̄ totum corpus ecclesie il  
luminant. q̄a xp̄s et mēbra sua sūt.  
qui ambulāt in medio septē cā  
delaborū aureorum. de quo dici  
tur in ca. sequenti;

**E**t angelo ephesi. 2c. v.

nus angelus commendatur a filio  
hominis. de multis. inquit scio la  
borē tuū. opera tua. et paciēciā  
tuam. et q̄ nō potes sustinē ma  
los. et tēptas mendaces aposto  
los. et sustinuisti p̄pter nomen  
meū. et facta nicolaitarū quos  
odio odisti. s̄ r̄prehenditur in v  
no. caritatem inquit tuam p̄mā  
reliquisti. s̄ memor esto vnde ex  
cideris et prima opa fac. alioq̄n  
mouebo cādelabrū tuū de loco su  
o nisi pēitēciā egeis. et tūc p̄mit  
tit̄ sibi. q̄ si viceit. dabit̄ sibi edē  
de ligno vite. qd ē ī paradiso. **H**ic  
r̄cē angelus designat̄ vita p̄lati.  
**P**relatus p̄fectus potest dici ā  
gelus. quia debet esse angelicus  
et celestis. **I**ste debet habere bo  
na opa labore paciēciā. et ius  
ticiā. malos non debet sustinē  
s̄ corrigere. et punire nicolaitas  
eciam q̄ interpretantur stulti ec  
clesie. debet eciam lāguētes id ē  
malos clericos v̄l r̄ligiosos. eciam  
ap̄los. i. ypoctas d̄ tēptāe. et p̄  
dei noīne sine defensione sustine  
re omnia. **S**ustinete et vigilate  
mecum. **Mat̄h. xxvi.** **S**ed quan  
doq; accidit q̄ ipse p̄dit caritatē  
suam p̄mā. quia multi p̄ sup  
biam odium et vindictam per  
dunt v̄tutem sepissime caritatis.  
**N**am sepe accidit q̄ prelati per  
dunt grāciam dei. superbiendo  
de dignitate. presumendo de sci  
tate. **E**t tunc dicit eis cristus. me  
mor esto vnde excideris. et age pe  
nitēciā. et prima opa fac. q̄si



## Apocals.

scandalū corā filijs israel. h̄ age  
penitentiā. alio q̄n pugnabo te  
cum in gladio oris mei. **S**ic ve  
re angeli id est plati rēp̄bendū  
ē q̄ habent secū malas p̄sonas.  
et eas non puniūt. ymmo fouēt.  
et maxie qui sūt in scandalū ple  
bi israel id est populo dei. **I**sti  
ergo tenentes doctrinā balaam  
s̄ḡnt fornicatores et ydolatrās  
id est ydola. hoc est dictu. mu  
lieres pictas adozātes. id est sa  
cerdotes et clericos luxuriosos.  
**N**am si platus eos nō corrīgat.  
et penitentiā nō agāt ipse de  
gladio oris sui id est diuina sen  
tentiā eos in eternū occidet. et il  
lum qui fuit negligens in puni  
endo. qz sicut dicit ad Ro. p̄mo.  
Tales digni sūt morte nō solū  
qui talia agūt. h̄ qui eis p̄sentūt.  
**N**on sufficit enim q̄ angelus. i.  
platus sit bonus. imo necē ē q̄ ipse  
nō sustineat secum malos. qd̄ ta  
men est hodie contra multos. q̄  
quīs in se sint boni. non tam stu  
dēt extirpare malos subditos.  
ymmo p̄ce vel p̄cio aliquociens  
fouent eos. **A**ngelo tyatire di  
ctū ē. **N**ouī opa tua. fidē. caritatē.  
mīsterium. pacienciā. et opa tua  
plura p̄oribz. a qui vixerit vsqz i  
finē. a custodierit. dabo ei potes  
tatē sup gentes et regna. **S**ic  
illi qui sūt in ecclīa vel religione.  
habent fidē. caritatez. etiā quoqz  
nouissima sūt semp p̄oribz meli  
ora. i. qui semp viuunt in emen  
dādo i melius. istis dico q̄ si vi

uerint. et hec custodierint vsqz in  
finē. a p̄seuerauerit. dignū erit q̄  
p̄moueat t̄p̄aliter et eternali  
ter. et q̄ accipiant a deo ptātē su  
p gētes et regna. a fiant plati a  
aliorū m̄gri. **T**alis enī decebat  
vt nobis eēt pontifex. s̄ctus. in  
nocens. ip̄ollut. segregat. a p̄cā  
toibz. **H**ebre. vii. **E**rat aut̄ in  
tyatira s̄m visioē iobis aposto  
li mulier iezabel. q̄ p̄phetabat  
et seruos dei seducebat. et doce  
bat comedere de ydolotitis et for  
nicari. dato q̄ ei datū est p̄nie tē  
pus. ibi tñ nullaten. p̄tebat. h̄  
dicit ei q̄ ip̄a ponet i lēn. et ibi  
q̄ mechati sūt cū ea essent in tri  
bulacione maria. **I**ezabel q̄ in  
terptat flux. sanguinis s̄ḡnt mū  
dū. a quo sanguis id est carnalis  
voluptas cotidie emanat. **I**ste co  
tidie docet et prophetizat forni  
cari. seducere. et ydolotita. i. mū  
di bona dyabolis deditata per a  
uariā manducare. et p̄ otem  
placionē incorporare. et qd̄ pe  
ius est. qz cū tempus hui. vite  
sit ei concessum ad penitentiā.  
ipsa tamen nūq̄ p̄mitet. h̄ semp  
in suis iniquitatibz p̄seuerat. **J**ob  
xxiiij. **D**edit deus ei locum peni  
tencie. et ipse abutit̄ eo in supbi  
am. h̄ pro certo ista mulier id ē  
mund. vna cum amatoribz su  
is. qui p̄ diuersa vicia cotidie cū  
ea mechant. finaliter ponentur  
in lecto mortis eterne. vbi pro  
certo in tribulacione maxima. i.  
p̄emis infernalibus affligētur.

## Apocals.

**V**el die hāliter q̄talis est mu-  
lier luxuriosa, alios seduēs. in  
luxuria pseuerā, et ipemites. **Eccā**  
**xxiiij.** **O**ī fornicatio panis ē dul-  
cis. **Nō** fatigat trāsgrediēs vs-  
q; in finē. h̄ tā ipsa q̄ fornicato-  
res in lōo mortis et inferni t̄bu-  
labūt finaliter in eternū. et nisi  
peitētiā fecerint ī hac vita. dāp-  
nabūt. **Lu. xiiij.** **N**isi p̄niāz fecerit-  
tis. oēs simul peribitis. *scilicet sardis*

**R**ep̄bēdit āgelus sic. **S**c̄o  
opera tua. q̄ uiuis et  
mortuus es. h̄ vigila et  
confirma cetera q̄ moritura sūt.  
et in mēte habe q̄liter accepeis.  
Alioquin veniā ad te sicut fur-  
hora qua nescis. **S**ic igit mul-  
ti eccā qui nomē et famā habent  
q̄ uiuant p̄ gratias et virtutes.  
quia creduntur eē multe sancti-  
tatis et p̄fectionis. et tamē mor-  
tui sunt p̄ peccatum. **I**stis igit  
et omnib; alijs prelatis dicitur  
q̄ ipsi vigilēt p̄ diligentiam su-  
per gregem p̄ pastoralem dominū.  
et ipsi confirmēt dācēdo et ad-  
monēdo illos. qui per ībecillitatē  
et vicia putrescūt et moriuntur.  
Dicitur etiā ei q̄ in mente ha-  
beat qualiter accepit aurā et ēgi-  
men animarū. Alio q̄n super ip-  
sum subito veniet ira dei. **V**igila-  
te. qz nescitis q̄ hora dominus ve-  
niet. **Luca. xiiij.** **C**ōmendat ā-  
gelus sardis qz secum habet il-  
los qui non inquinauerūt vesti-  
menta sua. **E**t iō sibi et alijs pro-  
mittit q̄ si vixerint ābulabūt cū

filio hoīs in vestimentis alb. et  
erūt scripti in libro vite. **S**ic ve-  
re p̄latus cōmendat. quādo ha-  
bet subditos honestos. et castos.  
qui vestimenta carnis sue p̄ lux-  
uriā non inq̄nant. **I**ō si vixerint  
et pseuerauerint. promittitur eis  
q̄ cum cristo ambulabunt in cē-  
lo sursum induti vestibus albis  
id est dotib; eterne glorie. et in li-  
bro et ne p̄destia cōis scripti eēt.  
**A**ctuū p̄o. **E**cce duo viri steteēt  
in vestib; albis. **A**ngelo p̄bi-  
ladelphie dicitur. **S**c̄o opa tua.  
et dedi corā te ostium ap̄tū qd̄  
nemo potest claudere. quia mo-  
dicam habes virtutem. et cōfir-  
masti nomen meum. et non ne-  
gasti nomen meū. et ego serua-  
bo te. **T**ene quod habes. ne ali-  
us accipiat coronam tuam. quia  
qui vixerit faciam illum colūp-  
nam in templum dei mei. **I**ste  
angelus gerebat p̄sonam infir-  
morum. **N**am isti habent modi-  
cam virtutem resistendi. **I**ō de-  
us dat ostium apertum venie et  
penitentie. **I**llud semper apertū  
est pro tempore huius vite. **S**i-  
nus enim ecclesie. qui recte ē ho-  
stium paradisi. semper est aper-  
tus. et nūq̄ p̄ vita ista clauditur  
penitenti. et h̄ qz infirmi modi-  
cā hnt v̄tutē resistendi vicijs et  
pcc̄is. q̄re necē ē q̄ hēant facili-  
t̄ mediū peitēdi. **I**nfr̄ax. **P**orte  
c̄itatis n̄ claudēt die ac nocte. q̄  
ei nō intrat p̄ hostiū. i. p̄ viāz et  
p̄niāz. et fur est et latro. **Job. x;**

## Apoctp.

Illud enim non potest claudi aliam  
quam diu durat ista misera vita  
presens. quoniam infirmus quoniam tuncque fra-  
gilis et ad vicia sit procliuus des-  
pare non debet. Et ideo sibi dicitur  
quod faciat quod in se est. et quod seruet  
verbum et preceptum dei. nec denegat  
per heresim nomen eius. et sic pro-  
certo deus seruabit eum a temp-  
tatione. quoniam scilicet deus faciet cum  
temptatione prouentum. prima ad cor-  
pore. Non permittet vos temptari ultra  
quam potestis. Teneat igitur quilibet  
illud quod habet. id est gratiam et per-  
fectionem. ne forte perdat coronam  
suam. id est honorem et premium  
glorie quod sibi debetur. et ne alium  
habeat successorem. qui ipso re-  
probato habeat coronam glori-  
e sue. Nam si vixerit vicia. erit in  
templo dei. id est in paradiso. vel ec-  
clesia. columpna. id est persona sta-  
bilis et eterna. et foras non egre-  
diatur amplius. quoniam in paradiso per-  
petuo remanebit. Vel ad litteram in  
ecclesia fit. quod illis qui peccata vi-  
uant. columpne stabiles viri fiunt.  
et ea inter vinctura assuescunt. ita  
quod de templo id est de statu grati-  
e non ex tunc amplius recedunt seu  
cadunt. Angelo laodice taliter  
comminatur. Utinam inquit frigidus  
esses aut calidus. sed quoniam tepidus  
es. id est neque frigidus neque  
calidus. incipiam te euomere. quoniam  
dicas diues sum et nullius ege-  
o. et nescis quod sis miser pauper et  
caecus et nudus. suadeo tibi emere  
aurum. et argentum ignitum et pro-

batum a me ut loqueres fias. et ve-  
stimetis albis induaris. ut non  
appareat confusio nuditatis tue. et  
collitio iunge oculos tuos ut vi-  
deas. quoniam qui vixerit dabo ei sedem  
in throno meo. Tales angeli  
sunt multi. qui pro certo non sunt cali-  
di pro feruore deuotionis. nec frigi-  
di pro algore diuini timoris. et  
subiectionis. sed sunt medijs. quoniam tepi-  
di et in deuoti. quoniam nec pro feruorem  
deum perfecte diligunt. nec pro timore  
ei obediunt perfecte. sed sub dei miseri-  
cordia confidentes. tepidi et medijs  
sic incedunt. Et ideo tales negligentes  
et tepidi ab ore dei sepe euo-  
muntur. id est a statu gratie et verita-  
tis cadere permittuntur. Aliquando  
accidit quod quidam tales sunt ita  
presumptuosi. et de proprijs meritis con-  
fidentes. quod credunt se diuites in ver-  
tutibus esse. et nullius auxilio indi-  
gere. et tamen secundum veritatem  
sepe accidit quod spiritualiter ipsi gra-  
tias sint nudi et virtutibus miseri et  
pauperes quo ad deum ignorantes.  
et caeci. quoniam non vident et aduertunt  
illa que debent scire mortem in  
fernum. paradisi mundum peccatum  
oculte dei prouidentie opa. vel pro  
propria insufficiencia. et cetera. In  
caecimo octauo. Cecus sedebat  
secus viam. Istis igitur suadetur  
quod a deo emanat aurum. id est dis-  
crecionem vel valorem sanctita-  
tis perfectionis. que sunt ignita pro cari-  
tate probata pro tribulatione. ut sic  
in deo et gratias loqueres esse possit.  
propter quilibet tali quod ipse collitio



id est aliqua amaritudine cōpūc  
cōis inungat oculos cordis sui.  
vt visū spiritualis discrecōis re  
cipiat quē amisit. p̄cipit sibi q̄  
albis vestibus id est honesta cō  
uersacōe induat se. ne nuditas ī  
perfectionis sue appareat. et ne  
quilibet ipsum irideat aut con  
tempnat. quia vix est aliq̄s ita  
sanctus. quin habeat in corde et  
opere plura irrisione digna. si vi  
ta sua videatur nuda. et si hone  
statis velamine non fuerit coop  
ta. Ideo consolando desolatos et  
tribulatos atq; desperatos dicit  
deus hic Ecce quos amo arguo  
et castigo; Ecce sto ad hostium  
et pulso. si quis audierit vocem  
meā et aperuerit ianuam. intra  
bo ad illum et cenabo cum illo. et  
ille mecum. Ac si diceret; Para  
tus sum inspirando vel predicā  
do pulsare. et si apiat cor. p̄ grā  
subintrare;

Sequitur aliud capitulum.

**I**ohannes raptus in spi  
ritu vidit ostium in celo.  
et ecce inquit sedes. et su  
pra eam sedens. et qui sedebat si  
milis erat aspūi lapidis iaspis  
et sardinis. Et iris erat ī circuitu  
sedis. filis visioni smaragdinis.  
et circa sedem sedilia xxiiij. et de  
super sedebant viginti quatuor  
seniores. habentes in capitibus  
suis coronas aureas. et de thro  
no procedebant fulgura. voce. et  
tonitrua. ante thronum erāt viij  
lampades ardentes. et in conspe

ctu sedis mare vitreum simile ē  
stallo. et in circuitu sedis. quatuor  
animalia plena oculis ante et r̄  
tro; **D**icit igit̄ qd̄ vidit in cœ  
lo; Celum est ecclesia; sicut em̄  
in celo est sol et luna et planete  
et stelle. que semper voluntur et  
nūq̄ cadūt sic in ecclā lucent et ī  
fluunt. sol id est cristus. luna idē  
beata v̄go. planete et stelle id est  
sancti et sancte. et licet voluntur  
p̄ tribulacōes continue. nūq̄ ta  
men deficit ecclesie sedes. neq; e  
ciam perit. quia ego rogavi pro  
te vt non deficiat fides tua. **A**uce  
vicefimo secundo capitulo. **V**el  
dic q̄ sol ē papa. luna est impe  
rator. et reges planete. id est car  
dinales et prelati. stelle sunt cle  
rici et ceteri cristiani. sedes que e  
rat ibi est dignitas ecclesiastica  
vel secularis sedes; **V**el sedens su  
per eam est prelatus vel iudex.  
officialis vel princeps. qui supra  
dignitatis sedem iudicat. sup̄ ca  
thedram moysi sederunt scribe  
et pharisei. **M**athei vicefimo ter  
cio capitulo. **S**ed pro certo qui  
cumq; sit sessor iudex prelatus.  
multa sunt ibi necessaria. et p̄  
iste debet esse similis iaspidi. et  
sardini. qui sunt lapides precio  
si. quia debet esse simili<sup>s</sup> cristus vel  
sanctis viris perfectis preciosis  
et virtuosis. quia bonus superi  
or vel p̄latus debet super omnia  
cōsonari q̄ possit bonis et ho  
nestis suis p̄decessoribus assimi  
lari. et maxie illis q̄ fuerūt iaspis.

## Apocyp.

qui resistit maleficijs. et vt sardis  
qui omnis malefici malicia si fit  
purus. cohibet. id est illis bonis  
platis. qui maleficijs hominibus  
resisterunt. et tuta patriam red-  
diderunt. **S**ecundo dic qz yris er-  
rat in circuitu sedis; p yride arcu  
celesti. vbi reluēt omēs colores.  
intelligo regulā religionis. et p  
cessum iudiciarie ptatis. qui qdē  
arcus celestis dicit. pro eo qz p  
eum impij sagittatur. et correcti-  
onis iaculis feriuntur. **P**er Arcu  
suum tendit et parauit illū. qz  
quia platus vel iudex mediante  
iusticia regia. vel ordine iudiciari-  
o habet sagittare et punire reos  
et accusatos. et facē iusticie cōple-  
mentū. et ibi pro certo habent ē  
luere multi colores. id est multe  
causē. multe rōnes. multe leges.  
multe sanctioēs. multi sensus. ml-  
te opimiones anteqm aliquem  
puniat de delicto. vt sic tali pla-  
to dicit illud Apoca. 1. Vidi an-  
gelū amictū nube. et yris erat in  
capite eius. Et sic yris videt tā-  
gere celū et terrā. Sic vere rigor  
iusticie debz tāgere celū id est no-  
biles sublimes; terrā. id est infi-  
mos atqz viles sine acceptione  
psonarū. **V**el dic qz sicut yris  
magis tāgit terrā qz celum quia  
duobz suis cornibz. Sic vere ri-  
gor iusticiarie ptatis. plus debet  
tāgere et vulnerare peccatoēs qz  
celum. id est qz innocentes spūa-  
les et celestes. Sed dicit qz yris  
similis erat visioni sinaragdimis.

est enim ille lapis viridis. cōfōz-  
tans oculos. qz ordo iusticiarius  
debet fieri ita mature et iuste. qz  
oculi et iudicia aliorum nō ledā-  
t. h. magis cōfōrtetur. et quid qd  
agitur oculos alioz delectet; et  
ab omnibz cōmendet. **M**athei  
qnto. Videāt opa vestra bona. et  
glorificent patrem vestrū. qui in  
celis est; **T**ercio dicit qz circa  
sedē erāt xxiij. sedilia. et desup sei-  
ores xxiij; Per ista sedilia intel-  
ligunt minora beneficia officia  
vel prebende. qz prelat? iudex ha-  
bet sub se ex iurisdictione. Et p-  
certo in istis debent sedere senio-  
res. i. viri discreti et maturi. et ta-  
les etiam debet habere secum se-  
nes. Et senes iuda sedebant corā  
me. **Eze. viij;** Quod tamen ē con-  
tra multos iudicē. qui pessimos  
homines ponunt i officijs. et cō-  
tra platos. qz pueros i beneficijs  
suis. **Q**erto dicebat qz senes  
dnt esse in societate sua. vt eoz cō-  
filijs fulciat. talibus debent dari  
corone in capitibz scz honores et  
dignitates. non puulis ignoran-  
tibus et iuuenibz insensatis. **I**de-  
o plato dicit ecclesias. xxvij. In  
medio sensorum assidu? esto.  
vt sic plat? dicat illud **Eze. viij;**  
**S**edebam i domo mea et senes iuda sedbāt corā me;  
Et habebant ante se lampades. et  
de trono exibāt fulgura. vocēs. et  
tonitrua. Lampades isti signifi-  
cant septem dona spūs sancti. qz  
iudex et prelatus debent habere  
ut mens eius p ea illuminetur.



## Apocty.

debent esse pleni oculis id est claritate discretiois ante et retro. quātū ad p̄terita et futura. debēt habere alas. qz ipsi debent volāe ad cēlū; Et si vis melius exponere de sex aīalibz. vide. vbi dicitur. sex ale vni q̄e. S; qūdo ista aīalia id est quādo prelati et autētid dant gloriā deo et faciūt bona opa. statim īferiores et subditi boni et maturi qui sup sedilia īferiorū sedēt bonū accipiūt exēplū. et exēplo eoz bono ipsi finaliter honorāt deū celi p bona opa. et coronas glorie mundane deponunt. et in corde suo vilipēdunt. et deum honorāt et adorant. **¶** Vel dic q animalia sūt clerici et religiosi. qui sūt p̄p̄inqui q̄tum ad ḡdū sedi xp̄i. Nā exēplo istorum qui sunt boni seniores id est principes. nō obstatibz coronis glorie tp̄alis deum celi glorificāt. Et breuiter ad exēplū clericorū se gerit vita secularium p̄sonarū. siue bonum fecerit siue malum. **¶** Sicut populus sic sacerdos osee quarto. et ysaie vicesimo quarto. **¶** Vel dic q circa sedem alicuius prelati vel principis sunt quatuor oculati consiliarij siue principales. quibus proloquentibz et sentēciam suam dicētibz alij inferiores quamuis sint sapientes et senes. solēt adulādo ipsorū dictis alludere. coronas et birretas de capitibus eoz deponere. et ipsorum dicta et cōsilia cōmendare. **¶** Ecclesiastici. decimotercio ca.

Diues locutus est et omnes tacuerūt. Verbum eius vsq; ad cēlū extulerūt. Et expone q; isti ecclesiastici et subtiles mali cōsiliarij habent alas sex id est sex specialia vicia. scilicet adulacionem. et maliciam. volāt quidem illis ad domiuos decipiendos. et appetitum laudis et auariciam. quibz volant ad seip̄os ditandos. et rapinam et supbiam quibz volant ad subditos opprimendos. et iste sunt ille sex ale de quibz dicitur.

**¶** Ysaie. sexto. Sex ale vni et cetera.

**¶** Adit iohannes in dextera sedentis sup thronuz librum scriptum intus et foris. signatū figillis septem. et nemo inuentus est dignus. nec in celo. nec in terra. librum respicere et aperire. atq; soluere eius signacula. excepto leoē de tribu iuda. qui ē radix dauid. qui venit aperire librū. et eius signacula soluere. **¶** Sedens iste est pater deus. qui ab eterno sedet in throno glorie sue. **¶** Iste liber figit mundū. et ordinem rerū. p̄cessusq; eorum. qui pro certo a principio semper est in manu dei. quantū ad eius ordinacionē et p̄uisionē. et ille ē scriptus intus et foris. **¶** Intus quantū ad causas rerū nob̄ occultas. que sunt in mente diuina. et foris in quantum ad creaturas et apparentes euentus rerum. **¶** Iste est signatus figillis septem. id est septem etatibus. quia qm̄ diu durant septem etates

## Aporab.

vite presentis mundus est nobis clausus. vel etiam vij planetis qui in influentijs regunt mundum. quia non est in eis homines neque in celo neque in terra qui per se intuitiue videat veritates rerum in existentia propria. et cui liber creaturarum sit notum? et aptus. nisi leo christus dei filius. de tribu iuda id est de progenie dauid fuit natus. qui propter unionem beatificam quam habet anima sua cum verbo. non obstantibus sigillis essentibus in proprijs essentibus intuetur. **Psalmus xxxix.** Dabit liber scienti litteras. et dicit nescio legere. signatus est ei. **Vel** dic quod sedes est dei pater. dextera eius est dei filius qui dicitur dextera patris. per quem fecit omnes creaturas. **Ista** dextera habet unum librum. id est nostram humanitatem. quam assumpsit in virgine. que dicitur liber. qui a intus ibi in conscientia. exterius in apparentia. omnes virtutes. perfectiones gratie. et exempla scribuntur. **Iste** liber fuit nobis clausus signatus velatus in sacramento altaris. quia pro certo ibi sunt sigilla septem. id est vij. accidentia. quibus substantia corporis occultatur. **Ista** sunt sapor. color. odor. figura. quantitas. actio. passio. remanet autem ibi idem color. id est sapor. id est odor. eadem figura rotunda vel quadrata. eadem quantitas magna vel parva. eadem actio quia ista potest agere nutrire inebriare ponderare sonare. etc. sicut ante passionem. quia ita potest tangi

et ita durum invenit per se ante. et sub istis accidentibus et sigillis occultatur et absconditur corpus christi. **Psalmus xlv.** Vere tu es deus absconditus. intus quod non est homo. neque in celo neque in terra. qui relictis proprijs naturalibus. possit solvere et cognoscere ista accidentia. et sigilla. et quod sub istis latitat corpus christi. quod diu sumus in via. et erit nobis visio omnium sicut tibi signum. **Psalmus xxxix.** Excepto tamen leone de tribu iuda. id est christo. qui fuit de radice dauid. de tribu iuda exiit. et quia iste solus inter homines hoc vidit et cognovit. quia ille per spiritum nos per fidem.

**I**ohannes vidit in medio throni et quatuor animalium xliij. seniores. habentes singuli citharas et psalteria. et ceciderunt coram agno. et cantaverunt canticum novum. **Iste** agnus benignissimus est christus. qui quasi agnus ductus ad victimam. **Psalmus liij.** Iste enim sedet in throno sacre scripture. ubi sunt quatuor animalia. id est quatuor euangeliste. et viginti quatuor seniores. id est xliij. libri veteris testamenti. secundum expositionem hebreorum. **Iste** fuit quasi occisus per passionem. sed modo est stans et immortalis per resurrectionem. **Iste** habet cornua septem. id est potestatem in septem mundi climatibus. **Per** cornu eius potentia designatur. **Habet** etiam septem oculos. id est septem dona spiritus sancti. **Zacharias in.**

## Apoctps.

Sup lapidem vnum septē oculi sunt. Iste de dextera sedentis id ē dei patris accipit librū. et omnē sapienciam. Et cū aperuisset primum figillum id est cū hominibus reuelasset primum secretum diuine sapiencie scilicet fidem sancte trinitatis. cum predicaret mūdo. tunc animalia id est euangelia. et xxiij semiores id est libri veteris testamenti cum citharis id est diuinis laudibus. cum pbiatis adornatis. id est cum sanctorum meritis. historijs. et viris famosis. laudē agno id est cristo dederūt. in quātū canticum nouū et prophetias de suo aduentu iam reuelata facie ceciderunt. **Psalmista.** Cantate domino canticum nouum. id est pphcias de suo aduentu. qz mirabilia fecit. **Uel** dic qz agnus ē bonus prelatus. qui debet ēē humilis et pacificus. sicut agnus. Ille em̄ in throno maiestatis sue sedens. debet ēē circumdatus et associatus aīalibus quatuor oculatis zē. id est bonis et discretis clericis. quatuor scz virtutibus cardinalibus adornatis. et semioribus id est psonis maturis atqz subditis morigeratis. Ille i representatione sua debet esse quasi occisus. quia pre humilitate debet se reputare mortuum et occisum. id ē quasi statim moriturum. debet habere coronas septem id ē septem principales virtutes. et vij oculos. id est vij bonā spūs scī. Ille debet accipere librum id est

facrā scripturā pre maīb. et ipaz a sedente in throno. id est a cristo p deuotionem et oracionē acquirere. Ille debet aperire figilla libri. id est obscuritates scripture. et eas subditis suis reuelare. doctō. et tūc animalia et semiores id est clerici et seculares. id est bone et honeste psoē qūqz. et maxime ille psonē q̄ habēt citharas. et canticū diuine laudis. et gratiarū actioēs. et pbiatas cū odor amētis id est fragrancā deuotionis et orōnis. Tales ipsū adorabūt. et laudabūt. et canticū laudis et recomedacionis sibi i cūctis ptiibus resonabūt. **Ecclesiastici** quadragesimo quarto. Laudemus prēs nostros. viros gloriosos. Et s̄m qz dicit ibidē. cū animalia et semiores laudarēt deū. audita ē vox milia miliū angeloz. qui benedixerūt agnum. Sic vere quando inuenitur talis agnus id est bonus prelatus. qui ab animalibus id est a semioribus et honorabilioribus psonis benedicatur et laudatur. pro certo milia miliū angelorum id est multitudo secularium populorum ipsum similiter benedicant. et de hoc deum glorificant et laudant.

**Sequitur Capitulum sextum.**  
**E**t vidi q̄ aperuisset agnū vnum de septem figillis. et audiui vnum de quatuor animalibus dicēs. tāq̄ vocē tonitruū. De mi et vide. Et vidi. et ecce equus albus et qui sedebat super illum

## Apocalips.

habebat arcū. et data est ei corona. et exiuit vincens vt vinceret. Et cum aperuiss̄ sigillū secūdu. audiui secundum animal dicēs. **Veni et vide.** Et exiuit alius eq̄ rufus. et qui sedebat super illū. datū est ei. vt sumeret pacem de terra. et vt inuicē se interficiant. datus ē ei gladius magnus. Et cū aperuiss̄ sigillū terciū. audiui terciū aīal dicēs. **Veni et vide.** Et ecce equus niger. et qui sedebat sup̄ illū habebat staterā in manū sua. et audiui vocē in medio tēp̄ quatuor animalium dicentiū. **Bili b̄ tritici denario vno. et tres biles bres ordei denario vno. et vinū et oleū ne leseris.** Et cū aperuiss̄ sigillū quārtū. audiui vocē quārti animalis dicentis. **Veni et vide.** Et ecce equus pallidus. et qui sedebat super eum nomen illi mors. et infernus seq̄batur eum. et data est illi potestas super quatuor partes terre. interficere gladio fame et bestiis terre. Et cum aperuiss̄ sigillum quintum. vidi subtus altare animas interfectoꝝ propter verbum dei. et testimonium quod habebant. Et clamabant vocē magna dicentes. **Vsq̄ quo domine sanctus et verus. non iudicas et non vindicas sanguinem nostrum de hijs qui habitant in terra.** et date sunt eis singule stole albe. et dictum est illis vt requiescerent adhuc tēpus modicum. donec compleatur conserui eozum. et fratres eo

rum qui interficiendi sunt sicut et illi. Et vidi cum aperuiss̄ sigillum sextum. et ecce terremoto. et sol factus est niger. tamq̄m saccus cineris. Et luna tota facta est sicut sanguis. et stelle de celo ceciderūt super tetram. quādamo ficius emittit grossos suos. cum a vento mouetur. Et celum recessit sicut liber inuolutus. Et omnis mons et insule de locis suis mote sunt. et reges terre et principes et tribuni et diuites et fortes. et oīs liber et seruus. abscondēt se in speluncis montium. et dicunt montibus et petris. **Cadite super nos. et abscondite nos a facie sedentis super thronum. et ab ira agni.** quoniam venit dies magnus ire ipsorum. Et quis staret poterit. **P̄ h̄ vidi quatuor angulos stantes super quatuor angulos terre. tenentes quatuor ventos terre. ne flarent super terrā neq̄ super mare. neq̄ super vllā arborem. et cetera.** **Item super illo.** Et vidi. et ecce equus albus et qui sedebat super illum habebat arcum. et data est ei corona et exiuit vincens vt vinceret. **Equus est caro nostra. vt patet. Psalme tricesimo primo capitulo. Equi eozum caro. et non spiritus. et cetera.** Sessor eius est anima que carni merito debet prefidere. Et breuiter sessor iste cum suo equo albo significat hominem qui per castitatem corp̄ habet

## Apoctp.

candidū et purū. **I**ste quādo qz  
habet arcū id est rigorem iustici  
e et equitatis qz quātū ad sagit  
tandū corrigēdum delinquētes.  
tales sunt iusti et rigidi. in se re  
ro sūt inoētēs et casti. **Eccl̄s ix.**  
**O**ī tpe vestimēta tua sint cādida  
**I**ō p certo talibz psois castis et  
iustus debet dari corona id est ho  
nor et celsitudo regie potestatis.  
qz tales psonē qñ sūt promote  
ad dignitatē viānt primo se. et au  
piditates suas. et tandem viānt  
et supeditāt omnes malos. et p  
ualent aduersus principes et ty  
rannos. **E**ruit iquit vincens vt  
vinceret. qui em̄ primo se vicerit.  
alios facilius vincere poterit. **I**  
deo bene dicit apostolus ad **Rō  
ij.** Noli vincā a malo. s; vince ī  
bono malū. **V**n̄ seneca in libro de  
moribz. **F**erocior est qui cupidita  
tes vincit. q̄ qui hostes subiecit.  
**V**idit ihoēs equū rufum. et q̄  
sedebat sup eū habebat gladiū  
magnū. et datū est ei vt sumeret  
pacem de terra. et vt hoies iuicē  
se interficerēt. **K**arissimi color  
rufus teste aristo. in pbisonomi  
a significat maliciā fraudē fal  
laciā et luozē. **I**lli igit̄ qui ha  
bent equū rufum sūt qui sūt fal  
laces iuidi maliciofi. **E**t p certo  
isti hodie habent gladiū maxi  
mū id est linguā et loquacitatē.  
quā ita habent magnam latam  
longā et diffusam. qz p detractio  
nem ad oēs psonas et status at  
tingūt. scz de omnibz detrahendo

et acufando. v̄ba referendo. **E**t i  
deo p certo talibz dat̄ hodie po  
testas a dyabolo. qz ipsi tollant  
pacē de terra. q̄pter verba dicta  
taliū iniquoz et ipioz. et p ipoz  
falsas acufaciones et relacioēs  
pax et concordia dissipat̄. et lites  
et discordie seiant̄. **Eccl̄. xxviii.**  
**S**ufurro et bilinguis maledict̄.  
multos t̄bavit habentes pacē.  
**V**idit ihoēs equū migrū. et q̄  
sedebat sup eum habebat state  
ram. et audita est vox inter aiali  
a diēs. **B**ilibris tritici denario v  
no. et bilibres ozdei denario vno.  
vinum et oleum non leseris. **E**  
**E**quus hic est corpus cristi. q̄ mi  
ger vilis et despectus extitit pre  
tormentis. **Psalm̄ liij.** Vidimus  
eū. et nō eāt ei aspais. **S**essor is  
tius. id est dei filius habet state  
ram id est librā equitatis et iusti  
cie in manu sua. quia habet po  
testatē iudiciariā. et potest pon  
derare. librare merita singuloz.  
**I**deo dicit̄ sibi bilibris tritici zē.  
**T**riticū figt̄ pfectos. qui medul  
lam deuocionis et compassiois  
habēt. et ipi sunt pleni. **O**rdeum  
fignit̄ imperfectos. qui cū me  
dulla meritorum et virtutū has  
bent admixtam corticem venia  
liū peccatorum. denarius est p̄  
miū eterne beatitudinis. illud  
est premiū commune. **M**athei  
**xx.** Acceperūt singuli singulos  
denarios. **D**icit̄ enim qz bilibris  
tritici. i. due libre tritici. et tres bi  
libres id est sex libre ozdei. hoc ē





## Aporat.

**I**ohānes vidit ap̄to quarto sigillo equū pallidū. et qui sedebat sup eum nomen illi mors. ⁊ infernus sequebat̄ eū. et data ē ei potestas sup q̄tuor terre plagas. interficere gladio. fame. et morte. et bestijs terre. **E**quus iste est peccator. q̄ dicit̄ pallidus. quia caret rubore caritatis. ⁊ albedine castitatis. **S**essor illius est dyabolus. mala volūtas. vel peccatū. qui ipsū ducit̄ ar̄cūq; ad motū suggestiōnis. vel male icli. nationis. **E**t iste dicit̄ mors. qz hominem temporalit̄ ⁊ spūalit̄ occidit. **I**deo dicit̄ qz infernus idest infernalis pena. ipsum seq̄tur. **U**nde ip̄e potest dicere illud. **Q**uec. xij. **M**orsus tuus ero inferne. **I**sti igit̄ dat̄ pt̄as sup q̄tuor affectiones cordis humani. qui sūt dolor. timor. spes. et gaudiū. **N**ā ex quo peccatū dyabolus. vel mala volūtas homini dominatur. necesse est qz sup q̄tuor affectiones ipsius principet̄. **E**t ip̄e amicabilet̄ oēs hominib; gr̄tias quatuor mōis. fame avaricia. bestijs carnalitate. sensualitate luxurie. gladio ire et inuidie. morte ocij et desidiē. **F**ames que sensu idest rōne caret. est luxuria. gladius q̄ acute pūgit est iracūdia. mors que insensibilez et immobilem facit est desidia. **I**sta igit̄ est q̄druplex mors culpē. q̄ ab isto malo sessorē occiditur anima peccatoris. ⁊ q̄ntū ad quatuor ptes affectionum cordis sui. **U**nde

**I**er. xv. **V**isitabo sup eos q̄tuor species dicit dominus. gladiū et cāes. volatilia celi. bestias. et paulo ante dixerat qz q̄ ad mortem ad mortē. q̄ ad gladiū ad gladiū. ad famē q̄ ad famē zc. **V**idit iohānes sup altare dei animas interfectozū. p̄ter verbū dei. et p̄ter testimoniū qd̄ habebāt. ⁊ clamabāt vocē magna ad dominū. **Q**uare nō vindicas sanguinem nostrū. **E**t acceperūt diuinū respon̄sū. qz expectarēt adhuc modicum tempus. donec numerus fratrū suorū qui interficient̄ cōpleatur. **E**t date sūt singulis stole albe. zc. **I**sti sunt martires. quoz anime sūt in altari padisi deo presentate. **I**sti em̄ occisi sūt propter testimoniū fidei. ⁊ propter verbū dei qd̄ p̄dicabant. **I**sti em̄ zelo iusticie nō vidite petūt vire iudiciū. s. vt eorū sanguis b̄ozq; tribulationes puniātur. **S**ed p̄ certo respōdet̄ qz necdū cōpletus est numerus electozū vel martirū. qui sūt p̄ occasionem ad deū migraturi. vel aīas secundū ordinē p̄destinacionis dei in seculo posituri. **E**t ideo iterim dāt̄ eis stole albe. scz indumentum glorie padisi. quā nūc habet anima sepata. q̄ dicit̄ stola prima. **L**uce xv. **C**ito auferte stolā p̄az et induite eum. **A**p̄to sexto sigillo. **V**idi inquit iohēs. **E**t ecce terre motus factus est magnus. et sol factus est niger tāq; saccus. et luna fca est tota sicut



**C**el die q̄ sol est veritas q̄ splē  
det. luna est pietas q̄ hūozem p̄  
bet. Celum est verecūdia q̄ hone  
statem celat. Stella est prudēcia  
q̄ omnia illustrat. Quia igit̄ i va  
lescente terremoto temptaciōis.  
sol cōuersus est in nigredinē ig  
norācie. luna pietatis cōuersa est  
in sanguinē crudelitatis et seruid  
e. Celū verecūdie iā recessit. stel  
la prudēcie iam cecidit. Ideo p  
cul dubio iam moti sunt mōtes  
idest vici eminentes in pfectiōe  
insule idest vici maturi et amai  
p̄ dolorosa cōtriciōe. **C**el die  
q̄ ideo mōtes et insule idest sta  
tus ecclesie tribulaciōibz cōiur  
tunt. et a stabilitate quā habue  
rūt cōmouēt. serui liberi diuites  
paupes reges et tribuni genera  
liter omnes tam subditi q̄ prela  
ti iam miserabiliter a diuina pre  
sēcia a dīno seruidio abscondū  
dunt. et in cauernis terre idē tu  
mulis temporaliū recludunt. ti  
ment enim coram agno immacu  
lato idest coram cristo in ecclesi  
e seruidio cōparere. qd̄ patet qui  
a vere nisi p̄ distributionibz no  
lunt in ecclesia subintrare. s̄ in ca  
uerna idest in foro et mundais  
cū talpi. idest cū secularibz cecis  
habitare. primo reḡ xij. Abscō  
dunt se in spelūcis. Timent enī  
ut dicant irā agni. i. duriciāz bu  
mani vel diuini seruidij. q̄ q̄ pla  
tabilis et benigni. Unde isti vidē  
ē dicere de eo illud primo regū.  
v. Non maēat apud nos archa

dei israhel: quia dura est manus  
eius. 2c.

**Q**uidit iobānes q̄tuor an  
gelos stātes sup̄ iij. an  
gulos terre qui tenebāt  
ventos celi. ne flarēt sup̄ terram.  
nec sup̄ mare. neqz sup̄ vllam ar  
borē. Sed istis dictū est a quodā  
angelo. habente signū dei viui.  
qui ascēdebat de ortu solis. q̄  
ip̄si non nocerēt terre. neqz mari.  
neqz arboribz. quousqz signarēt  
serui dei in fronte eorum. et fuit  
multitudo maxima signatorum.  
tā de filiis israhel q̄ de t̄ba. de oī  
bz populis et gentibz cōgrega  
ta. Et erāt omnes in aspectu tro  
m̄ induti stolis albis. et palme  
in manibus eorū. et agnū bene  
dicebant. **I**sti quatuor angeli  
possunt figre balliuos et officia  
les p̄cipū. q̄ i iij. p̄tibz mūdi  
sūt locati. et q̄ stāt i diuis̄ officijs  
sup̄ āgulos tre nostre. Istis dar  
t̄ a principibus et p̄latis nocere  
terre mari et arboribus idest oī  
bus generibus hoīm subditoꝝ.  
terre villis et ciuitatibus maris  
idest collegijs et conuētibus. ar  
boribus idest p̄sonis et homibz  
qui ad hoc breuiter ponuntur i  
officio. ut nocēant subditis. et ut  
rapiāt quicqd̄ possunt. **I**ntra no  
no Potestas eorum. nocere hoī  
mbus mensibus quinqz. Et isti  
impediūt ne venti flent sup̄ ter  
rā. quia omnem cōsolaciōis flatū.  
et omne refrigeriū vel auxilium  
qd̄ p̄ncipes vel prelati debent

## Apocaty.

subditis. ipsi impediunt quantum possunt. **S**; quid? **V**e ibi e alius angelus .i. alius consiliarius vel familiaris. qui portat signum et sigillum principis. vtpote consiliarius. cum quo oportet secrete loqui. quia breuiter nullus e inimicus a no cumento aliorum. nisi quis ipse figurat liberandos. **E**t tales sic signati per dona vel fauores a magistris curie. accepti ab huiusmodi quatuor malis .i. ab huiusmodi iniquis non leduntur. ymmo stant in conspectu throni .i. in presentia principum et platorum induti stolis et vestibus eorum. et in eorum curiarum officijsque ordinati. **A**lij autem qui non sunt signati. nec in gratia maiorum specialiter accepti atque recepti. sed no cumento talium malorum angelorum id est inferiorum balliuorum executorum et commissariorum crudelium exponuntur. **E**t breuiter istud est verum. quod nullus hodie balliuorum malitiam euitat. nisi alicuius magni angeli .i. alicuius magni consiliarij fauorem percuret. **I**sti enim mali inferiores illos non audet tangere. quis videt maiorem gratiam obtinere. **V**el dic quod iste sanctus angelus. est beatus frater aliscus. qui ab ortu solis .i. a statu gratie et virtutis ascendit super terram ipsam. et terrena calcando et etiam predicando. **I**ste enim portat sigillum dei. scilicet stigmata passionis domine. **I**ste enim per doctrinam suam impediuit. ne angeli mali nocerent illis. qui signum characteris et crucis per penitentiam. confessionis memoriam. secum por-

tant. **M**ultos etiam sigillo et imagine christi figurat. scilicet fratres suos. quos christo unumdo filios et conformes esse voluit et mandauit. **S**unt enim hodie tam de israel quam de gentibus .i. tam de nobilibus quam de ignobilibus maxima turba. qui per eum coram domino presentantur in statu scilicet religionis et perfectiois. qui aucti stolis candidis castitatis. et habentes palmas victorie et perseuerantie atque firmitatis. deum et agnum continue benediciunt. et ipsi per predicaciones suas ab alijs fuerunt benedicti. **A**ct. vi. **T**urba enim plurima credidit in deum. **V**el dic quod iste potest figurare quemlibet virum perfectum. signo caritatis munitum. qui si bene deuotos filii signo consignat. et eos a malis angelis liberat et defendat. **V**el dic quod in die iudicij illi soli a malis liberabuntur. qui signo caritatis et gratie signati inuenientur. **V**el dic quod illud signum signat memoriam domine passionis. quo qui signati apparuerint. a demonibus non ledentur. **D**icat igitur quemlibet illud psalmus. **F**ac me cum signum in bonum. ut videant qui oderunt me. **D**ixit iohannes quod ipse vidit coram deo et angelis animalibus et senioribus turbam magnam. quam dinumerare non poterat. ex omnibus tribubus populis et linguis. qui erant amicti stolis albis. **Q**ui sunt et vnde veniunt. **H**ij sunt. qui venerunt ex magna tribulatione. et lauerunt stolas suas in sanguine agni. et eis seruiunt in templo sancto eius

die ac nocte et non esurient neque  
 sitiēt amplius. neque cadet super  
 illos sol. neque estus. neque dolor.  
 quoniam agnus qui est in medio  
 throni regit eos. et deducet eos  
 ad vite fontes aquarum. **I**sti si-  
 gnificant sanctos. qui sunt in pa-  
 tria. qui ante thronum maiestatis  
 eterne perpetuo habent stare. cum an-  
 gelis et cum animalibus. id est cum eu-  
 angelistis et senioribus. cum priar-  
 chis et sanctis. **I**sti sunt et ma-  
 innumera-  
 bilis; sunt etiam ex cunctis populis  
 congregati. et isti deum continue bene-  
 dicunt. et amicti sunt stolis albis.  
 id est eterne glorie claritate. **I**sti  
 palmas incommensurabilis victoriae se-  
 cum portant. hoc pro deo qui sunt isti.  
 pro certo nulli nisi qui venerunt ex  
 magna tribulatione. quam in mundo  
 penas et miseras propter deum  
 habuerunt. quia quod deo placue-  
 runt. pro multis tribulationibus tra-  
 siverunt. **I**nditb viij. **I**sti stolas su-  
 as id est conscientias lauerunt. et pro-  
 mo a vicibus purgauerunt. et hoc  
 in sanguine agni. et passione. et  
 memoria ihesu christi. **I**sti enim sur-  
 sum in templo paradisi seruiunt ag-  
 no id est christo. qui eos regit. et ideo  
 non esuriet neque sitiēt. neque cale-  
 cent. neque flebunt. neque dolebunt. sed  
 ad fontem vite. et eterne prosperi-  
 tatis omni voluptate se replebunt.  
